IN FUNERE
EMMANUELIS LODII

ORDINIS PRÆDICATORUM

EPISCOPI UTINENSIS

S. PETRI ROSACENSIS ABBATIS

PRÆLATI DOMESTICI, ASSISTENTIS SOLIO PONTIFICIO

ET EQUITIS CORONÆ FERREÆ II. CLASSIS

ORATIO

NOMINE CAPITULI

HABITA IN CATHEDRALI ÆDE

DIE XII FEBB. MDCCCXLV

A JO. PAULO FORABOSCHI

CANONICO THEOL. ET PROTON. APOSTOLICO.

Digitized by Google

Qui docti fuerint, fulgebunt, quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ, in perpetuas æternitates.

Dan. 12. 3.

Qui regendos alios suscipit, tanta decet gloria virtutis excellere, ut instar solis cæteros, veluti stellarum igniculos, in suo fulgore obscuret.

Jo. Chrys. hom. 10. in 1. ad Tim.

Digitized by Google

Miserandum, et maxime acerbum spectaculum heri in hoc templo, præclarissimi Auditores, conspeximus. Conspeximus enim diuturno, teterrimo morbo confectum, mortis jaculo prostratum, et funebri rogo impositum Eum, qui mœrentes, prostratos, jacentes liberaliter erigebat, et sublevabat. Nemo igitur admiretur, si Canonicorum Collegium, et Leviticus Ordo, si Magistratus, et Nobilium cœtus, si plebs, si Diœcesis denique universa dolent, mœrent, et adeo sapientem, pium, fortem, et beneficum Antistitem lacrymantur.

Atque utinam disertum facerent loquentem mœstitia, et dolor! Profecto non indignam plurimis, et maximis erga me beneficiis orationem me habiturum esse confiderem. Nunc præter ingenuum, et fervens laudandi studium omnia plane mihi deesse sentio. Neque enim ingenii acie, neque dicendi facultate possum cum pluribus ex iis, qui audiunt, ulla ratione comparari. Filiali tamen pietate auctus ostendere conabor in interitu Emmanuelis Lodii Episcopi Utinensis abreptum nobis fuisse præstantissimum Antistitem, amantissimum Patrem.

Parcant interim doctissimi Auditores, et sermonis tenuitatem humanitate sibi ingenita sustineant. Meminerint, quæso, me in obsequium inclyti Cathedralis Capituli gravissimum hoc Magni Antistitis commendandi onus suscepisse. Meminerint quoque me in tam conspicuo sapientum conventu non oratoris personam gerere, sed obsequentissimi filii publicum grati animi officium parenti benefico persolventis.

Digitized by Google

Magnorum virorum in funere præconia a celebranda patriæ, et generis claritate, ab opibus, et copiis amplificandis ut plurimum exordiri solent. Nos, qui Emmanuelem, ut præstantem dumtaxat Ecclesiæ Principem commendandum suscipimus, hæc omnia in ipsius laudibus ne recensenda quidem arbitramur. Quanti in Ecclesiastico homine facienda hæc sint ostendit Christus! qui filius Dei, et Deus, faber, et fabri filius haberi voluit, quique rex, et Dominus omnium in humili pago, in pauper tugurio natus non habuit ubi reclinaret caput. *Matt.* 8. 20.

Eas igitur continuo expendamus defuncti Emmanuelis dotes, quæ illum amabilem semper, et admirabilem Antistitem bonis omnibus reddiderunt. Novimus omnes duabus iisque maximis virtutibus, quæ sunt cæterarum omnium fontes, doctrina nempe, et pietate præstanti sustineri onus, et clarescere decus Episcopale. Hinc hodiernum Emmanuelis encomium initium sumit, hinc procedet, huc demum omne contendet.

Providentissimus Deus, qui, quos ad excelsum aliquod munus præordinat, iis dotibus, et virtutibus exornat, quæ ad finem obtinendum opus sunt, animum Emmanuelis ad geminas illas virtutes ferme e matris utero præparavit. Natus est enim ea vultus, et totius oris pulchritudine, ut ipsa jucunda corporis forma magnum aliquod portendere videretur. Optimorum parentum, et piissimæ præsertim matris institutione, et exemplo ad omnem pietatem infans dispositus fuit. Adscriptus postea inter alumnos Seminarii Mediolanensis, adhuc puer ingenium prætulit perspicax, et ad omnes disciplinas facile percipiendas eminenter comparatum. Mores autem ingenuos, et graves tanta cum lenitate composuit, ut eos, quorum familiaritate utebatur, suavissimo quodam jucunditatis vinculo sibi omnes obstringeret.

Cum autem doctrinæ, pietatis, et perfectionis studio jam tum magnopere conflagraret, divini spiritus impulsu, obnitenti patre relicto, ad Congregationem Presbyterorum S. Pauli, quos Barnabitas vocant, lætanti animo evolavit. Non magna patriæ urbis Mediolani celebritas, non honorum, quos suis dotibus consequi poterat, spes eum potuerunt ulla ratione a suscepto consilio revo-

care. Et cum non multo post vocem Domini semet alio vocantis audiret, postquam, ut alter Samuel, respondisset: » Loquere, Domine, quia audit servus tuus; „ I. R. 3. 10. vocanti acquievit. et ineffabili alacritate laudatissimum D. Dominici Institutum amplexus est.

Porro quis modo verbis consequi valeat quantum doctrinæ, quantum pietatis ex nobilissimo illo sodalitio expresserit? In eo adolescentis aurea indoles, summa ingenii acies, et pietas, ut lilia verno tempore, in dies florescere ceperunt. Philosophicis studiis eminenter peractis, ecclesiasticas disciplinas, duce, et Magistro celeberimo Theologo Gazzaniga, tanta celeritate, tantoque ardore assecutus est, ut in singulis facile primus, in divinis autem eloquiis intelligendis, et enucleandis consodalium nemo esset illi comparandus. Sacerdos factus, et Doctoris laurea insignitus inter præcipua Ordinis Prædicatorum lumina novus ipse splendor eluxit. Nullum enim hospitium suæ sodalitatis incoluit, in quo doctrinæ lucem, et virtutis exempla non diffunderet. Testis est Bononia, quæ ipsum summo omnium plausu concionantem, et S. Scripturam populo exponentem audivit: testis Bononia, quæ pluries per singulas hebdomadas eum perspexit antelucano tempore pedibus conscendere præaltum montem S. Lucæ, ut ibi in celeberrimo Deiparæ Virginis Sanctuario Confessiones audiret, et fideles eo voti causa undique confluentes sacris concionibus institueret. Testis est inclyta Venetiarum urbs, quæ ipsum Bononia discedentem gratulanter excepit, et ubi non tantum Prædicatorum familiam illustravit, accepta Præpositi dignitate; verum etiam cives omnes, omnes advenas eo convenientes suavissima in concionando facundia erudivit, et lætificavit.

Sed cum Emmanuel in viridario suæ Congregationis, quasi arbor consita secus decursus aquarum, in sapientia, et virtutibus cresceret daturus uberiores fructus in tempore suo. *Ps.* 1. 3. heu! supervenit illa infaustissimorum temporum inaudita perversitas, quæ rerum omnium humanarum, divinarumque perturbatione, et præsertim sacrarum Sodalitatum excidio futura erant cunctis superventuris generationibus acerbissime memoranda. Sed immor-

tales divino Numini grates, quod bonas, quas plantavit, arbores nunquam desinit irrigare supernis auxiliorum suorum fluentis! Emmanuel, sodalitate dispersa, superstes ipse unus in hospitio Ss. Joannis, et Pauli fructus inde protulit longe uberiores, quam antea protulisset. Suscepta enim a Patriarcha parrochiali animarum cura, doctrina ejus, pietas, caritas, et omnium virtutum genera, quæ antea videbantur Claustris quodammodo inclusa, splendidius emicare ceperunt. Paucis plurima complectamur.

Et ut præteream ardentem amorem nitoris, et gloriæ domus Dei, quo parrochialem Basilicam pretiosissimis ingenuarum artium monumentis decoravit, quasi Sponsam Conjugi divino; ut præteream opus diuturnum, et arduum, quod præstitit Patriarchæ Milesio, cui etiam a consiliis erat, in instaurandis, et accommodandis Seminarii Patriarchalis ædibus: quibus sermonibus commendare potero eam pietatem, et sollicitudinem, qua vivum Dei templum, populum sibi concreditum spiritaliter ædificare, et in bono perficere satagebat? Quibus laudibus cœlestem efferam ardorem, quo assidue in sua, sæpe in aliis Venetiarum Basilicis, et tempore quadragesimali in principibus Italiæ urbibus, in ipsa Imp. Austriæ metropoli sacras conciones ea facundia, et plausu habebat, ut ipsius eloquentiæ, et nominis fama a Tiberi ad Istrum usque personuerit? Quibus demum praeconiis prosequar caritatem, qua a recto veritatis, et pietatis tramite aberrantes quærebat, obsecrabat, arguebat in omni patientia et doctrina, ut redirent ad cor II. *Tim.* 4, 2; reversos autem in lacrymas lætitiæ effusus, quasi pater prodigum filium, complectebatur, donabat, recreabat, in bono confirmabat? Caritas cordis ejus patebat ad omnes, quos noverat indigentes. Pauperes, afflictos, oppressos pecunia, consilio, opere, sublevabat. Adeo eximia doctrinæ luce, adeo præstanti pietatis exercitatione comparari oportebat, quem ad regendam Ecclesiam suam Spiritus Sanctus præsignaverat, ut, antequam fieret, optimus Antistes videretur.

Porro Emmanuelis virtutes, et dotes ore omnium pervulgatas jam noverat piissimus, et Augustissimus Imperator Franciscus I, noverat summam ingenii aciem, et celerrimam in negotiis ge-

vendis sagacitatem; jamque anno 1816 Pio VII Ss. recordationis Pont. Max. eum pro Ecclesia Clodiensi proposuerat. Sed cum Clodienses sibi ob electum Antistitem lætantibus animis plauderent, Sapientissimus Cæsar ratus summis Emmanuelis dotibus nimis esse limitatos, angustos nimis Clodiensis Diœcesis fines, eum, annuente Pastore Supremo, an. 1818 ad speciosissimam Sedem Utinensem elevavit. Exinde contigit nobis, ut eum conspicaremur, veluti lucernam super candelabrum excelsum positam, doctrinæ, et pietatis splendore longe lateque coruscantem. Fama, quæ ipsum præcesserat, magna quidem, imo maxima de eo prædicaverat, ita ut læti omnes, et gratulabundi beata nobis tempora præstolaremur: at fama multo minora iis, quæ oculis ipsi conspeximus, proferebat. Quandoquidem 25 annorum decursu talia, tantaque vidimus, ut, cum de iis disserendum sit, animus rerum multitudine pene obrutus nesciat quas res gestas, quas virtutes commendandas seligat, quo ordine proferat, quove sermone describat.

Laudationum magni Præsulis initium ex iis summam sapientiæ, et pietatis operibus, quæ in omnium oculos irruunt, cunctorumque animos rapiunt, nimirum a magnificis aedibus, quas construxit. Bibliothecæ Bartoliniaæ nobilissimam aulam suis sumptibus erexit, palatium episcopale non absque ingentibus expensis magnopere amplificavit. Abbatialem Rosatii domum ad omnem ferme usum ante ea tempora ineptam instauravit, elevavit, ornavit, et viam, quæ ad eam hinc inde contendit eousque pene imperviam, quantum pati poterat locorum difficultas, complanavit.

At opus ingens, quod Archipræsuli Jo: Hieronymo Gradonico coæquavit, et æternis cumulabit laudibus Lodii nomen, est Seminarium Novum. Ecquisnam dissitissimis etiam sæculis futuris non intuebitur in ampla Ædium mole ingentem Præsulis animum? Quis non admirabitur magnæ mentis consilium in pulchritudine, ordine, et aptitudine partium omnium, et singularum ad erudiendam in scientia, et disciplina juventutem? Quis non raptus recordabitur tantum opus actuositate, et celeritate Præsulis triennio circiter fuisse absolutum? Quis non obstupescet, cum audiet, quod

fama remotissimis quoque temporibus nuntiabit, ipsum a summo mane ad noctem operi, et operantibus, quos singulos regebat, vix umquam defuisse? Equidem unum illud ingens opus Episcopi Lodii nomen, et memoriam perennabit.

Quamquam ipsum hoc ingens opus, quod pluralitati hominum videbitur Lodii maximum, æquis rerum existimatoribus videbitur semper exiguum, si comparetur cum aliis longe splendidioribus doctrinæ, et pietatis monumentis. Quis enim in Ecclesiasticis, et presertim biblicis disciplinis pari ac ipse amplitudine instructus? Quis alius in Epistolis familiaribus, in Encyclicis exscribendis facilior, vehementior, vividior? Quis demum eo eloquentior in allocutionibus, et concionibus sacris, quas sæpissime in Diœcesis visitationibus, in hac autem cathedrali Æde incredibili, et prorsus nova civium frequentia quotannis habebat? Quæ ubertas doctrinæ? Quæ copia sermonis? Quæ subita, et vehemens affectuum, et animorum commotio? At sapientia, et pietas eximii Pontificis nostri resplenduit minus in opere, et verbo, quam in jugi virtutum exercitatione.

Noverat ipse, vel antequam sedem conscenderet, asperrima temporum, quæ præcesserant, indole Ecclesiasticam disciplinam adeo vulneratam, et attritam fuisse, ut Diœcesis universa sibi esset quodammodo spiritaliter reædificanda. Noverat semet a Deo missum, ut omnium suarum ovium onera ipse Pastor gestaret, omnium necessitatibus subveniret, ut posset Apostolorum successor cum Apostolo clamare: „ Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?„ II *Cor.* II,29. Ad ingentissimum hoc spirituale ædificium vires alius quidem generis, alius quidem generis impensæ, sed vires, et impensæ absque comparatione majores exquirebantur, quam ad erigendas, quas admiramur, Novi Seminarii ædes requirerentur. Mactandum erat non pecuniis, et corporis defatigationibus, sed heroicis virtutibus, et gravissimis animi laboribus.

Inter virtutes principem locum habeat cæterarum omnium parens, et regina devotio, et fides in Deum, quam cœnobita, et sacerdos magnam semper habuerat, Episcopus autem numquam

non prætulit maximam. Quoties animum experiebatur contremiscentem concepto Episcopalium officiorum pondere angelicis etiam humeris formidando, eum confirmabat vivam accendens fiduciam in Deum. Firmissimum enim habebat, veluti si oculis conspexisset, et manibus contrectasset, Deum ingenti auxiliorum suorum copia iis semper adesse, quos ad aliquod munus ipse delegit, ut possint facile explere ea ipsa, quæ hominum imbecillitati videntur impossibilia.

Tantam autem fidem in Deum, quem a puero ex toto corde, et anima, cunctisque viribus diligebat, *Deut.* 6. 5. et ad quem omnia sua semper referebat accepta, aluit, et auxit religione in Sanctos, inter quos eminebat gratiarum potens Redemptoris Mater, quam ut Matrem etiam suam filiali obsequio, et amore prosequebatur. Quod brevi somno, quod laboribus plurimis, quod officiis pene innumeris supererat temporis, orationi donabat.

Ex hac autem pietate adeo præstanti non poterant non omnes diffluere virtutes summi Antistitis propriæ. Fluebat inde singulare illud animi robur, quo adeo invicte perficiebat quæcumque in filiorum bonum, et Ecclesiæ decus moliebatur, ut nullis unquam obstaculis deterreri, nullis potentum, aut amicorum suasionibus potuerit ab officio deflecti. Ex pietate eam hausit, quam summa cum fortitudine, non sine omnium admiratione, suaviter copulavit, mansuetudinem, per quam, deposita quandoque dignitatis gravitate, ipsum vidimus cum artificibus, cum famulantibus, cum humilioribus de plebe, quasi ipsis par, vel minor esset, familiariter conversari. Ex pietate illa oris, vultus, et sermonis suavitas, qua audientium corda ita mulcebat, ut obfirmatas etiam eorum voluntates, quocumque ei libuisset, blande, et facile pertraheret. Ex pietate illa cordis benignitas adeo in eo singularis, ut si quandoque nolens, aut nescius insontem aliquem afflixisset, cito eum erigeret, et recrearet. Ex pietate summa, quæ omnium fidem excederet, nisi plurimorum oculis patuisset, ad parcendum facilitas, et proclivitas. Nemo filiorum in graviora etiam delapsus coram Episcopo Emmanuele exclamavit: „ Peccavi Domino „ qui confestim non audierit „ Dominus quoque transtulit peccatum

Digitized by Google

tuum., II. *Reg.* 12. 13. Injurias sibi illatas, et iniquissimas calumnias dolenter quidem, sed invicte tulit, maledicentibus pepercit, pro persecutoribus exoravit. Ex pietate summum studium, et obsequium in Hierarcham supremum, qui eum inter Antistites domus, ac Statores proximos Apostolico Solio cooptabat, et in Augustissimos Cæsares Franciscum I. et Ferdinandum I., qui eum et Ordine equestri Coronæ Ferreæ, et iteratis hospitii honoribus, et muneribus amplissimis cumulabant.

Sed quid de pastorali ejus sollicitudine eloquar? Quis umquam enarrare valeat, quæ et quanta perfecerit pro disciplina et pietate tuenda, ac dilatanda? Nominationem suimet ab Augustissimo Cæsare vix audierat, cum ab invisentibus viva voce, ab absentibus per Epistolas rerum omnium notiones undique advocabat, ut gregem sibi concreditum spiritu ante cognosceret, quam oculis conspiceret. Statim ac autem Episcopalem conscenderat Sedem, puerorum in christiana doctrina institutionem saluberrimis legibus, et inopinatis visitationibus provexit, et fovit.

Et sollicitudine æque vehementi decorem divinæ domus, et Dei, Sanctorumque cultum jugiter promovit, et auxit. Hujusmodi sollicitudinis perpetua extabunt monumenta et altaria Rosatii, atque in splendido Utinensi Cœmeterio erecta, et augustissimum hoc Sacellum, in quo Sanctorum reliquias veneramur, quod ipse illustravit et electissimo vitalis ligni particula, et Cruce pretiosis gemmis distincta, qua eum donabat Ferdinandus I. Cæsar Augustus nuperrime apud ipsum una cum Augustissima Conjuge Carolina iterum diversatus.

Quoniam autem nihil magis arbitrabatur ad Religionis, ac pietatis incrementum conferre, quam Ecclesiasticorum ministrorum scientia, et sanctitas, huc studium ejus omne, huc consilia, et contentiones spectabant, ut, si fieri posset, renovaretur faustissimum Ss. Præsulum Valeriani, et Chromatii ævum, quo Aquilejenses Clerici, Hieronymo teste, quasi chorus Sanctorum habebantur. Illi proinde nil familiarius erat, quam de Ecclesiæ suæ ministris sciscitari, et illos admonere, ut, tamquam sal terræ, fideles condirent, et veluti lucernæ ardentes, doctrina, et exemplo

omnibus antecederent. Hanc in Sacerdotibus suis pietatem, et scientiam omnibus quidem modis, sed potissimum beneficiorum collatione alere, et fovere studebat. Beneficus in omnes, in Coadjutores suos adeo erat effusus, ut non latitudo cordis ei umquam defuerit, sed media potius illimitatæ beneficandi voluntati sæpe defecerint. Et tamen, licet amore adeo paterno prosequeretur hoc filiorum suorum genus, ut, si posset, omnia, quae Deus sibi dispensanda crediderat, singulis contulisset: ea tamen æquitate redditus Ecclesiasticos largiebatur, ut, quandocumque gravissima non obsisteret difficultas, dignioribus semper contingerent. Huic Antistitis studio Diœcesis universa referre debet acceptos optimos, et præstantes suos secundi ordinis animarum Pastores.

Emmanuelis autem nomen mirifice auxit sollicitudo illa perpetua recordatione digna, quam ostendit in gemina totius Diœcesis solemni perlustratione. Vidimus tunc in eo Præsulem, quo nihil operosius, nil excogitari potest ardentius ad abusus tollendos, ad ecclesiasticam disciplinam, et integerrimam doctrinam confirmandam. Ut oves suas dignosceret, et ipse cognosceretur a suis non aeris inclementia, non loca prærupta, non asperrima montium juga potuerunt eum a suscepto itinere deterrere.

Sed quid prætergredimur ultra domestica pastoralis sollicitudinis documenta? Nil magis cordi ei unquam inhæsit, quam Seminarium. In hoc pietatis, et scientiarum domicilium ab exordio ministerii sui studium, et opus omne, omnem contulit cogitationem, ut pubes litterarum studiis addicta rebus optimis erudiretur, et illi dumtaxat ad levitarum ordinem eligerentur, qui scientia, et moribus inclarescerent. Testis ego ipse pluribus annis extiti, testes mecum sunt omnes Seminarii Institutores illius sollicitudinis, et curæ, qua initio cujusque anni scholastici ad se convocatos ferventi allocutione obsecrabat, et urgebat omnes, ut in excolendam nobis concreditam juventutem ex toto corde, et viribus cunctis incumberemus, ne umquam contingeret, ut indignus aut ad habitum Clericalem, aut ad Ecclesiasticos Ordines promoveretur. Ut autem vocati in sortem Domini a perditissimi sæculi corruptione præmunirentur, statuit, ut per quadriennem Studii Theo-

logici cursum omnes in Seminario hospitarentur. Et quoniam plura obstabant, ne cuncti colligerentur in eo, quod ipse adeo ampliaverat, alterum ipse primus, difficultatibus maximis strenue superatis, instituit Seminarium, ut in eo illi reciperentur, qui pro rei familiaris exiguitate minimas pro victu sustinere possent expensas.

Sed jam præterire nobis ultra non licet liberalitatem. primam, et præcipuam pastoralis sollicitudinis dotem. Hospitalitate in omnes vere summus, paternæ etiam erga egenos caritatis viscera semper enutrivit, et longe teneriora, quam pluribus de populo visum fuerit, longe ampliora, quam redditus mensæ episcopalis perferre poterant. Humanarum conditionum omnium rationem, et indolem expertus sciebat ipse stipem ad januas divitum, in compitis, et plateis quæritantes, pauci si excipiantur, vitio indulgere, aut saltem desidiosam vitiorum ut plurimum parentem diligere vitam. Sciebat veri nominis inopem esse artificum catervam, quæ, ut in sudore vultus suum sibi comparet panem, a mane usque ad vesperam expectat, qui se conducant ad opus. In hanc indigentium turbam omnes effundebat thesauros, et quos ex oblationibus Cleri, et divitum, et quos ex publico Ærario pro Ædibus Seminarii prioris mira sagacitate conferebat. Hoc autem sapientissimo caritatis consilio quis non videat eum, quot operarios conduxit (numquam vero non plurimos conducebat) totidem indigentes aluisse familias?

Non ita tamen in illam egentium Classem se præbuit largitorem, ut classes reliquas, imo vel unam oblivisceretur. Ut enim omittam iteratas pluribus annis largitiones pro Clericis Seminarii Minoris; ut taceam oblationes pro domo puerorum, quos diro cholera morbo octo abhinc annis parentibus orbatos Utinensium pietas hospitio collegit, et vere paternis pii Canonici visceribus alendos, et instituendos commisit; ut demum prætercam subsidia, quæ præstitit universis civicae caritatis asylis; quem nostrum, quæso, latere poterit ipsum etiam mendicantibus ad palatii limina statuto tempore confluentibus perpetuam erogasse stipem? Quem lateat eum, ut Præsidem, nihilo minus, quam eximius Comes, et

Digitized by Google

Eques Provinciæ Præfectus, et inclyti cives præpositi Congregationibus caritatis, studium omne, omnemque adhibuisse sollicitudinem, ut aperiretur vere pauperibus nova optatissima refugii domus? Quid plura? Summa Antistitis caritas, quasi angustis hujus vitæ limitibus cohiberi non posset, defunctos quoque complectebatur. Quis enim nesciat ipsum nobilibus egenis non tantum viventibus statuta ad menses eleemosina, sed mortuis quoque parato in novo cœmeterio suis sumptibus eorum exuviis tumulo epitulatum fuisse?

Et nunc ecce demum nos ad diuturnum, et teterrimum illum melancholiæ morbum, qui a duobus et amplius annis numquam, nisi brevi temporis intervallo ab eo discruciando quievit. Civitas cuncta, Diœcesis universa perturbata, et mœrens confluebat ad aras, et supplices manus, et preces ad Deum, et Deiparam gratiarum potentem pro illius incolumitate extollebat. At truculenta nihilominus ægritudo ab octobri præsertim elapso concussa ejus viscera adeo diris angoribus inaudito furore excruciavit, ut fortem, constantem, invictum ipsius spiritum omnino prostraverit. Non præstantissimorum medicorum cura, non domesticorum amor, non ipsæ paternæ, omnique solamine refertæ Supremi Pastoris Gregorii XVI Litteræ ulla ratione potuerunt acerbissimum animi mœrorem coercere. Interea doloribus mortis correptus, imo in ipso conspectu mortis, quam per biennium et ultra atris, vividisque imaginationis coloribus depictam ob oculos semper habuit, seipso fortior factus, et divinæ voluntati penitus obsequutus sæpe flagitabat, sæpe accipiebat Sacramentorum solatium, implorabat enixe Deiparæ Virginis opem, et assidue inclamans: „Domine, adjutor meus, protector meus .... in te confido, non erubescam, quoniam speravi in te.... *Psal.* 24. Fiat voluntas tua „.... *Matt.* 6, 10 diros, quos patiebatur, cruciatus Jesu e cruce pendenti offerebat. Doloribus tandem atrocissimis protritus, ea repetens Jesu morientis verba: „In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum„ *Matt.* 23. 46. in Crucifixi osculis, et amplexibus, oculis ad lætitiam, et labiis ad risum compositis, emisit spiritum, atque ad cœlitum sedes laborum, et certaminum

coronam, ut confidimus, accepturus advolavit. Interim ita implacabilis mortalium hostis mors magnanimum, fortissimum hominem prostravit, et dilectioni, ac desiderio cunctorum abripuit.

Quamquam inexorabilis mors non omnem confringere, non omnem nobis abripere potuit præstantissimum Antistitem, amantissimum Patrem. Quo etenim pacto recordationi, et dilectioni nostræ eripere poterat, aut umquam poterit Episcopalis dignitatis decus, Ecclesiæ Utinensis lumen, Emmanuelem, qui summa mentis acie, et doctrinæ luce, indefessa sollicitudine pastorali, præclarissimarum virtutum splendore omnes in sui admirationem pertraxit? Poterunt quidem tempora dissolvere, et conterere ipsius membra; at nulla sæculorum diuturnitas poterit in Utinensium cordibus indelebilem tanti Parentis memoriam vel leviter obumbrare. Vives, vives, Anima Excelsa, æternum vives in laboribus maximis, quos pro nobis pertulisti; » generatio enim, et generatio, laudabit opera tua „ *Ps.* 144, 4. vives in latitudine cordis, qua nos omnes complectebaris, vives in splendidissimis, quæ nobis reliquisti, virtutum exemplis. Unum interim hoc te enixe precamur, ut a Supremo omnium bonorum Largitore Utinensis Ecclesiæ votis, et precibus ejusmodi Pastorem obtineas, qui doctrina, et virtute erigat, et recreet animos nostros ob tam luctuosum funus acerbissimo mœrore confectos.

Digitized by Google

OECONOMIA ORATIONIS

Exordium. *Propositio.* Luctus, et mœroris causa. *Miserandum. Redditio.* Laudationis difficultas ex adjunctis oratoris. *Atque utinam. Propositio finalis.* Jactura eximii Antistitis. *Filiali tamen pietate.*

Narratio. Principium. *Magnorum virorum.* Summi Episcopi dotes. *Eas igitur continuo.* Eminens ad geminas virtutes Emmanuelis præparatio *(a)* domi paternæ. *Providentissimus Deus. (b)* In Seminario Mediolanensi. *Adscitus postea. (c)* In sodalitio S. Dominici. *Cum autem. (d)* In Parœcia Ss. Jo. et Pauli. *Sed cum Emmanuel.*

Commendantur doctrina ejus, et pietas in Episcopatu. *Porro Emmanuelis. (a)* In opere. *Laudationum magni Præsulis. (b)* in verbo ex concionandi facundia. *Quamquam ipsum hoc.* Laudatur singillatim pietas. *Noverat ipse.* Unde *(a)* fides in Deum. *Inter virtutes. (b)* Animi robur. *Fluebat inde. (c)* Mansuetudo. *Ex pietate eam hausit. (d)* Cordis benignitas. *Ex pietate summa. (f)* Obsequium in principes. *Ex pietate summum. (g)* Sollicitudo Pastoralis. *Sed quid de pastorali.* 1 In promovenda puerorum christiana institutione. *Statim ac autem.* 2 In fovendo cultu Sanctorum. *Et sollicitudine.* 3 In augenda Sacerdotum pietate. *Quoniam autem.* 4 In Diœcesi perlustranda. *Emmanuelis autem.* 5 In educatione Clericorum. *Sed quid prætergredimur ultra.* 6 Hospitalitate, et liberalitate in artifices, pauperes, caritatis hospitia, defunctos. *Sed jam præterire nobis ultra.*

Morbi, et mortis descriptio. *Et nunc ecce demum nos.*

Epilogus. *Quamquam inexorabilis.*

Digitized by Google

196

Digitized by Google

IN MORTE
DI EMMANUELE LODI
VESCOVO DI UDINE

ELOGIO

LETTO IN LATINO NELLA S. CATTEDRALE

E DALL' AUTORE

RECATO IN VOLGARE

Digitized by Google

Digitized by Google

Funesto, amarissimo spettacolo si presentava jeri, Chiarissimi Uditori, allo sguardo di tutti noi in questo tempio augusto. Perocchè noi miravamo attoniti da lunga, atroce infermità consunto, abbattuto dai dardi della morte, e giacente sopra funebre letto quel magnanimo, che con cuore pietoso, con generosa mano consolava afflitti, rialzava prostrati, ed oppressi. Non sia adunque chi maravigli, se il Cattedrale Capitolo, e tutto il ceto ecclesiastico, se i cittadini d'ogni ordine nobili, e plebei, se tutti i buoni di questa vasta Diocesi muti e dolenti compiangono la perdita di un Vescovo tanto savio, pio, forte, benefico.

E piacesse pure al cielo, che l'affanno, e il dolore inspirassero conveniente gagliardia, e facondia all'encomiatore! che io potrei al certo nutrire ragionevole fidanza di tenervi oggi un funebre elogio corrispondente in qualche guisa ai molti e sommi favori, di che mi ebbe ricolmo. Se non che sento tutto mancarmi all'uopo, fuori che un sincero, e caldo desiderio di tributargli la dovuta laude. Perciocchè nè per ingegno, nè per facondia sono io da porre a paragone con molti di quei, che m'ascoltano. Ciò nulla ostante da filiale ossequio, ed affetto fatto di me maggiore m'accingo a mostrarvi, che in Emmanuele Lodi Vescovo di Udine ci venne dalla morte rapito un virtuosissimo Pastore, un tenero, affettuoso Padre.

Mi sieno frattanto cortesi i coltissimi Uditori, e supplisca no coll'innata gentilezza di cuore al molto, che mancar potesse al mio dire. Rammentino, prego, che solo in obbedienza al venerando Capitolo Cattedrale io mi addossava il gravissimo incarico di encomiare così illustre Prelato. Rammentino altresì, che in adunanza così solenne, come è questa, di dotti, non è mia intenzione di sostenere le parti di Oratore, ma sì di figlio, che vuole tributare in pubblico un atto doveroso di venerazione e gratitudine al benefico padre.

Gli encomj, che si tengono alla morte dei Grandi, hanno il più delle volte le prime mosse dal ricordare lo splendore della patria, e della stirpe, dal descrivere, e non sempre senza esagerazioni, gli agi, e l'opulenza. Io, che mi sono prefisso di tributare ad Emmanuele quegli encomj puramente, che gli sono dovuti, come Vescovo insigne, credo inopportuno all'elogio anche il minimo cenno di cosifatte caduche glorie. Quale pregio possano esse per se avere negli uomini di Chiesa chiaro il dimostra Cristo Gesù, il quale figlio di Dio, Dio Egli stesso, volle essere tenuto per figlio di un povero artiere, ed essendo sovrano, ed arbitro dell'Universo, nacque in una oscura borgata, in una squallida capanna, e non ebbe dove adagiare il divin capo.

Tutti adunque si volgano i nostri pensieri a que' pregi dell'Illustre defunto, per i quali egli fu sempre, come Vescovo, oggetto a tutti i buoni di amore, e di ammirazione. Nessuno è tra noi, che non sappia la dottrina, e la pietà vive sorgenti di ogni altra virtù essere, se eminenti, le due qualità, che somministrano lena, e vigore a compiere per guisa i doveri tremendi dell'Episcopato da non offuscarne gli splendidi onori. Qui prenderà sue mosse, qui s'aggirerà, qui avrà suo compimento questa mia qualsiasi funebre orazione.

